

ram sequitur primarum : & cum à parte rei nihil detur commune vniuocum his differentijs ; ita nec Logicè dari potest ; bene tamen in sensu nostræ conclusionis , quæ probatur primo , per Porphyrium in hoc cap. dicentem : omnes differentias conuenire in hoc , quod est facere differre : & postea nominat eas , species Differentiarum : ergo est diuisio generis in species : ergo vniuoca.

Secundò , si non esset diuisio generis in species ; maxime quia Differentiarum prime intentione liter sumptæ in nullo vniuoco conueniunt : sed hoc non obstat : quia non loquimur de eis , vt applicantur primis intentionibus : ergo.

QVÆST. II.

An hæc sit vera: Sortes senex differt à se ipso puero?

Differt enim Sortes à Platone, alteritate: & ipse à se senex, vel iam puero, vel iam viro. Cap. eod.



VERITUR circa primum membrum diuisionis Differentiarum : an hæc sit vera : Sortes senex differt à se ipso puero ? Quod non videtur : quia relatio requirit duo extrema in actu : quia si sic , suum subiectum est ; & si hoc , eius correlatiuum est : quia relatiua sunt simul natura : sed Sortes senex , & Sortes puer non sunt simul natura in actu : ergo Differentia , quæ est relatio quædam , non est inter illa , vt extrema : cuius oppositum notat illa propositio.

Item : si Sortes senex differat à se ipso puero : ergo non est idem sibi puero : ergo non est idem sibi. Prima consequentia patet : quia idem , & differens , opponuntur : ergo ad vnum sequitur negatio alterius . Probatio secundæ consequentiarum : negatio in antecedente negat identitatem vniuersaliter : ergo sequitur negatio identitatis eiusdem à se : sicut à superiori ad inferius negando : & hoc tantum significat consequens.

Item sequitur : Sortes senex differt à se puero : ergo Sortes senex , & Sortes puer , differunt : ergo Sortes senex , & Sortes puer , sunt multa : & ultra : ergo Sor-

tes , & Sortes , sunt multa : consequens est falsum : ergo , & primum antecedens . Probatio primæ consequentiæ : sic enim sequitur in omnibus relatiuis æquiparantiæ : sequitur enim : Sortes est similis Platoni : ergo Sortes , & Plato , sunt similes : & ratio est hæc : quia relatiuum æquiparantiæ æqualiter denominat vtrumque extremum . Probatio secundæ : Differentia est species multitudinis per Aristot. quinto & decimo Metaphysic. sequitur ergo : differunt : ergo sunt multa : sicut sequitur : album est : ergo coloratum . Probatio tertiarum consequentiarum : quia ab inferiori ad suum superius tenet affirmando : quemadmodum à determinatione non diminuente , sequitur ad determinabile : sic arguitur ibi : ergo consequentia bona.

Text. non habere cap. text. com. 10. 12. 17. & inde.

Ad oppositum est Porphyrius.

Item : arguitur ratione sic : circa ens immediate opponuntur idem , & diuersum , per Aristot. decimo Metaphysic. aut ergo Sortes senex , & Sortes puer , sunt idem , vel diuersum : non idem : quia tunc hæc affirmatiua : Sortes senex est Sortes puer : esset vera : sed hoc est falsum : ergo diuersum : & hic sumitur differens , vt est commune ad omne diuersum .

Text. com. 12.

Respondeo dicendum : quod propositio distinguenda est secundum æquiuocationem : quia sumptis differre in communi est vera propositio : quia isto modo quodcunque accidens impedit omnimodam identitatem . Accipiendo tamen Differentiam proprie , vel magis proprie , est propositio falsa : vt patet ex ratione istarum Differentiarum .

Ad primum argumentum potest dici : quod oportet extrema relationis esse in actu quoad rationem referendi , & non quoad existentiam : quia prius , & posterius , licet non simul existant : tamen simul sunt , secundum rationem , qua referuntur : nam quando prius est sub ratione prioris : posterius est sub ratione posterioris : licet tunc non existant .

Aliter potest dici : quod Sortes puer non est per se extremum huius relationis : sed Sortes puer differens : quia per se extrema relationis æquiparantiæ nominantur eodem nomine illius relationis : illud autem extremum est per se simul cum Sorte senex differente : quia pro eodem

eodem tempore est hoc differens ab illo ; & illud ab illo .

Ad secundum dico : quod hæc consequentia non valet : non est idem sibi puero : ergo non est idem sibi : quia in prima negatur identitas respectu termini accidentalis : in secunda vero respectu substantialis , qui importatur per sibi , quod est relatiuum reciprocum : & in hoc fit fallacia consequentis : quia ad diuersitatem accidentalem , non sequitur diuersitas substantialis ; sed e conuerso . Sed sibi , sibi , in consequente referat antecedens eum determinatione , scilicet , hoc totum : Sortes senex : tunc patet consequentiam non valere : quia in antecedente , & consequente , respectu diuersorum terminorum accidentalium , negatur identitas . Vnde quod hic assumitur in probatione : quod in antecedente negatur identitas ; vniuersaliter falsum est : sed tantum respectu huius termini , Sortes puer .

Ad tertium dico : quod negatur prima consequentia propter negationem inclusam in differt : vt patet in alijs : quia hæc est vera : Sortes differt ab omni homine : sicut Sortes non est idem omni homini : hæc tamen est falsa : Sortes , & omnis homo , differunt : sicut hæc : Sortes , & omnis homo , non sunt idem .

Ad probationem dicitur : quod tenet in relatiuis æquiparantiæ , vbi non includitur negatio : vt de simili patet : sic non est de Differentia .

Contra hoc : negatio inclusa in differt non tollit talem consequentiam : nisi propter hoc , quod terminus præcedens ipsum , & subsequens , diuersam habent suppositionem . Vnde tenet , obseruata eadem suppositione , talis consequentia , etiam cum differt : sed in singularibus non refert præponere , vel postponere negationem , per Aristot. secundo Perihermias : ergo in illis , cum differt , bene tenet talis consequentia .

Cap. 1.

Idè potest concedi illud vltimum consequens : scilicet , Sortes senex , & Sortes puer , sunt multa : sed non sequitur : igitur Sortes , & Sortes , sunt multa : quia illa determinatio in antecedente , respectu talis prædicati , dimittit à Sorte absolute : idè non sequitur , vt superius ad inferius : sed vt secundum quid

ad simpliciter . Similiter in illo coniuncto sumitur Sortes secundum accidens : quia secundum rationem alicuius , quod secundum rationem talis prædicati , est sibi extraneum absolute sumptis . & indictis secundum accidens , siue prædicatis , siue subiectis , non tenet à coniunctis ad diuisa per Aristot. secundo Perihermias .

Text. 2.

Summa textus simul & explicatio.

Ad explicandam naturam Differentiarum communis , quæ est primum membrum diuisionis prædictæ , vltimè Porphyrius hoc exemplo : sicut Sortes senex differt à se ipso puero : de qua propositione inquit Doctor in præsentia , an sit vera , nec ne ? Partem negatiuam tripliciter probat primo : ex natura relationis , & relatiuorum ; nam omnis relatio ; cum ab extremis dependeat ; eo modo , quo ipsa est , requirit extrema : si enim fuerit relatio actualis , requirit extrema in actu ; et si potentialis ; in potentia : sed Differentia est relatio in actu existens : & extrema non actu existunt ; nam implicat , vt Sortes puer existat ; cum Sortes est senex : ergo , cum extrema actu non existant : Sortes senex non differt à se ipso puero relatione Differentiarum communis actualis .

Secundò , arguit per locum ab oppositis ; & infert de primo ad vltimum , Sortem non esse idem sibi ipsi : quod implicat , loquendo de omni modo identitatis : & ostendit se arguere à superiori ad inferius negatiue ; quod tamen non concludit argumentum , quod clare in littera est formatum .

Tertiò , denique intendit probare de primo ad vltimum per tres consequentias , eundem Sortem esse multa : quod implicat .

Pro intelligentia tamen breuiter notat , propositionem istam distinguendam esse secundum æquiuocationem : nam potest intelligi de Differentia comuni , vt se extendit ad quodcunque accidens per accidens ; vel potest intelligi de Differentia propria , vel propriissima : hac distinctione præmissa .

Nota

Dicit primo . Si Differentia sit propria , vel propriissima : Sortes senex non differt à se ipso puero patet : quia senectus , & iuuentus , non sunt Differentiæ essentielles , nec inseparabiles à Sorte : aliter enim semper ipse esset senex , vel puer : & non aliquando hoc , aliquando illud : ergo , &c .

1. Conclusio

Dicit secundò . Si loquatur de Differentia comuni : propositio est vera ; patet per rationes ad opposita : auctoritate videlicet Porphyrii , & Aristot. 10. Metaph. & ultra ista Doct. senectus , in qua fundatur hæc relatio Differentiarum , est accidens comune impediens omnimodam identitatem : ergo talis relatio Differentiarum facit differre Sortem senem à se ipso puero : diuersum enim accidens est senectus à pueritia .

2. Conclusio

Dices

Dices supra quæst. secunda de specie inquit Doctor: quod quando aliquid se habet ad aliqua simpliciter, & secundum quid, si addatur sibi aliquid determinans ad secundum quid, stat tantum pro illo: sed si additur senectus, vel pueritia, quæ determinant Differentiam ad secundum quid: ergo Differentia ex vi sermonis habet, in hac propositione, pro Differentia communi: ergo male hæc propositio distinguitur à Doctore.

Respondeo: quod terminus æquiuocus, secundum Doct. primo Elenchorum quæst. 9. & 10. non potest proprie contrahi, nec per immediate, aut mediate adiunctum: & ita terminus, vel fundamentum, huius relationis non est proprie determinatum eius: quare necessaria fuit prædicta distinctio. Maxime, quia etiam Differentia propria dicitur Differentia secundum quid, de qua non intelligitur propositio: & ideo distinguenda fuit.

Ad primū

Tandem respondet ad argumenta: & ad primum dupliciter: duplex enim est actus relationum: alter existentie, quo actu realiter existunt; alter est actus referendi, quo actualiter simul referuntur; qui nihil aliud est, nisi mutua coexistentia illationis, ut vnum actu alterum inferat; licet actualiter in se non existant: de primo actu negat maiorem; de secundo vero eam concedit: & patet, exemplo prioris, & posterioris: Adam enim dicitur prior Abel, & mutuo actu se inferunt, licet vtrumque non sit, nec existat.

Secundo respondet: quod extrema huius relationis Differentie, sunt Sortes puer differens, & Sortes senex differens: & loquitur de extremis quoad materialia, & formalia sua: & in hoc sensu talia extrema sunt relativa æquiparantia: & ita stant simul natura.

Ad secundum.

Ad tertium.

Ad secundum patet in littera. Ad tertium dat vnam responsionem aliorum negantem istam esse bonam consequentiam: Sortes senex differt à se ipso puero: ergo Sortes senex, & Sortes puer differunt. Ratio eorum est: quia in antecedente, ly, differt præcedit ly, se ipso puero: & in consequente, sequitur: & secundum regulas Logicales, ly, differt quando sequitur aliquæ terminum non confundit ipsum; bene tamen quando antecedit; & hoc propter negationem, quam includit; quæ habet vim confundendi, & perimendi quidquid sequitur ipsam, de quo in littera clare exemplificat Doctor: Ad probationem dicunt esse veram de relatiuis æquiparantia, quæ non includunt aliquam negationem, nec habent vim confundendi: secus est de ly, differt, vel differentia, quæ negationem includit.

Hanc solutionem rejicit Doctor: quia nulla negatio potest impedire consequentiam, nisi quia terminus præcedens, vel sequens illam habet diuersam suppositionem: quod non accidit in præsentibus: nam arguitur in terminis singularibus, qui determinate supponunt: & ita siue præcedant, siue sequantur negationem, parum refert, ex primo Perihermenias.

Quare Doctor concedit consequentiam: &

ultra concedit secundam: quia ly, Sortes, etiam si secundum se non sit multa, bene tamen, ut determinatur per ly senex, & per ly puer: quia senectus & pueritia, diminuunt. Nec sequitur ergo Sortes, & Sortes, sunt multe: nam non arguitur ab inferiori ad superius: sed est fallacia secundum quid, & simpliciter. Vel dic (inquit Doctor) quod arguitur à coniunctis secundum accidens, ad diuersa: in quibus non tenet consequentia: Sortes enim nullam ex se habet coniunctionem cum ly, multa.

QVÆST. III.

An prima definitio Differentie sit conuenienter data?

Differentia est, qua abundat species à genere. Cap. eod.



VERITUR de hac prima definitione Differentie: scilicet, Differentia est, qua species abundat à genere: an sit conuenienter data? Quod non videtur: quia, &

abundat ab alio, est in plus illo: genus est in plus, quam species, & non e conuerso: per Aristotel. in Prædicamentis: vbi dicit: animal plus complectitur, quam homo: ergo, &c.

Cap. de sub
stantia.

Item: si sic, quæro, à quo species habet differentiam: non à nullo: quia ex nihilo nihil fit: non à se: quia nihil facit se esse in actu: si igitur habeat: ergo habet hoc à genere: sed hoc est inconueniens propter duo. Primum est: quia tunc non abundaret in hoc à genere: cum vtrumque habeat illud. Secundo, quia haberet tunc genus in se contraria: qua enim ratione vna species habet vnam differentiam à genere; pari ratione alia species habebit aliam differentiam sibi oppositam: ergo vtramque: ergo opposita simul.

Dicitur hic; sicut Porphyrius in littera respondere videtur: quod species habet differentiam à genere: & ita genus habet illam differentiam in potentia tantum: species autem in actu.

Nec

Nec sequitur tunc primum inconueniens: quia illud abundare debet intelligi quoad actu habere.

Ad secundum dicitur: quod non est inconueniens opposita simul inesse eidem in potentia.

Contra primum: à nullo potest aliquid verius haberi, quam ipsum illud in se habeat: igitur à genere non potest species habere virtus differentiam illam, quam genus habeat illam: sed species habet illam actu: genus tantum in potentia: ergo species illam à genere non habet.

Contra secundum: omnis potentia est reducibilis ad actum: igitur si opposita in potentia insunt generi, poterant inesse actu: quod est impossibile.

Item: contra vtrumque simul: illud, quod tantum inest alicui in potentia, non prædicatur verè de illo, cum hoc verbo, est; quia esse denotat actualem vnionem extremorum: sed hæc est vera: animal est rationale: ergo prædicatum non tantum inest subiecto in potentia.

Ad oppositum est Porphyrius.

Dicendum; quod species abundat à genere in differentia: quia definitio exprimit totum per se intellectum definiti: quia aliter non conueniret primo definitio: sed definitio constat ex genere, & differentia: ergo differentia est aliquid de per se intellectu speciei; & non de intellectu generis: quia si sic: genus per se prædicaretur de Differentia; vel e conuerso: quorum vtrumque est falsum. & negatio esset in definitione: quia ponendo rationem generis, & differentie; loco nominum, idem bis diceretur: ergo species abundat differentia à genere.

Ad primum dico: quod esse in plus est dupliciter: scilicet; secundum continentiam actualem, vel potentialem; siue secundum indifferentiam: & isto secundo modo; genus est in plus: ut vult auctoritas adducta: species vero alio modo: & ideo sic abundat à genere.

Ad secundum dico: sicut dictum est: quia sicut compositum naturale habet formam in potentia à materia; in quantum materia est in potentia per se ad

formam: & ideo quando materia est: est etiam forma compositi in potentia: formam autem habet compositum in actu ab agente; quod actu inducit formam in materiam: sic species in potentia habet differentiam à genere, quod est proportionale materia.

Ad primum contra hoc; concedo; quod species non habet differentiam in actu à genere: quia nec genus illam habet actu.

Ad secundum potest dici: quod non est inconueniens opposita in actu inesse eidem genere: licet sit inconueniens de eodem numero.

Vel aliter: quod potentia non dicitur hic, ordo ad actum: sicut sumitur nono Metaphysic. sed potentia dicitur hic indeterminatio: sicut per oppositum actus proprie determinat aliud: & tunc genus habet differentias in potentia, id est, indeterminate: & isto modo non intelligitur propositio illa: quod omnis potentia reducibilis est ad actum.

Per hoc ad aliud: concedo enim quod hæc est vera: animal est rationale: nam sua contradictoria est falsa: sed non est vera vniuersaliter: non est enim in conueniens, aliquid prædicari verè de eo, quod est in potentia ad ipsum: id est, in determinate se habet ad ipsum: & hoc particulariter, non vniuersaliter.

Summa textus.

CVM Differentia sit æquiuocum ad omnes Differentias, ut vidimus, prius de eius diuisione disputauit Doctor, quæ explicata, conuertit se ad examinandas definitiones Differentie propriissimæ, quæ sunt quinque, & explicat triplex huius Differentie munus, quod est constituere speciem, diuidere genus, & facere differre, in quo esse prædicabile de multis fundatur.

Prima est: Differentia est, qua species suum genus abundat: id est essentialiter superat: & hæc explicat primum munus.

Secunda: Differentia est quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid.

Tertia: Differentia est id, quod aptum naturæ est diuidere ea, quæ sub eodem genere sunt: & explicat secundum munus.

Quarta: Differentia est, qua differunt à se inuicem singula: id est singula eiusdem generis species: & hæc explicat tertium munus.